

2. Utque e pluribus pauca¹⁾ demetam, huiusce senatorum curiæ unus, interque monastici ordinis primores iure notandus, Aymoinus, insignis facundiæ, composuit librum, *Gesta Francorum prætitulatum*; texuit et quendam in patris Benedicti laude sermonem²⁾, metrorum intercalatione pulchræ micantem, quo præcedentium colligens assertiones patrum, hunc adtestantium Patriarcharum equipерandum virtuti, signorum pretiosissimum efficit margaritum. Deinde, sub optentu nominis huius venerandi pastoris recentia eiusdem patris magnalia rethorica promulgavit facundia.

Quem subsecutus Arnulfus, sagacis astutia ingenii precipuus, singula distico subdistingxit reciproco³⁾. Rursus prefatus Aymoinus tricenorum dictitans gesta abbatum, hoc Floriacense regentium coenobium, usque ad iam dictum Abbonem decurrit abbatem, cuius et textum passionis stilo dictante, posterorum mandavit memoriæ. Oddo⁴⁾ vero doctrinæ sophisticæ debriatus flumine, summi Benedicti confessorum dialogum vitæ heroico variavit scemate. Translationis quoque seriem Giraldus, haud spernendæ scientiæ fulgor elegiaco defloravit pentametro⁵⁾. Alter etiam actu et nomine Vitalis, vitam egregii Pauli⁶⁾, incliti Britannorum presulis, censura providi correxit acuminis. Ceterum Isenbardus vir summe sanctitatis et innocentie, qui quantive prestantioris dogmatis lumine, huius ter beati splendueret sub tempore, in libro quem *Puerorum speculum* prefixit notamine, succincta enucleat sermocinatione. Porro nec pretereundum singularis institutoris Hisimberti summum memoriale, quem ipse sacræ prefecerat bibliothecæ, qui adeo in educandis spiritalium filiorum animis perstitit, ut procul dubio crederes dignis patribus digne posse succedere inlustrium propaginem heredum. His etenim diebus, historia patris Benedicti adventus, quam Constantinus, illius loci nutritus, atque abbatiæ Miciacensis honore ab Arnulfo, Aurelianensium presule donatus, musicæ artis dictaverat pneumatibus, suasu Helgaudi precentoris permissuque Gauzlini abbatis, Floriacensi loco primo insonuit⁷⁾. Horum cuneis procerum rector pollens insignium, legem dextra flammigeram leva vibrarat gloriam. Emulatusque monimenta illius Machabei, qui paterna confinia bellorum auxit titulis invigilat et ipse voto consimili erga sui ampliacionem loci.

1) So verbessert der Corrector: ut pauca que e pluribus. 2) Bibliotheca Floriacensis 270 (Delisle). 3) Vielleicht die Miracula, die bei den Bollandisten (Mart. III, 301) unter dem Namen des Rodulfus Tortarius gehen (Delisle). 4) So verbessert der Corrector aus: Odo. 5) Scheint ungedruckt. Cfr. Boll. Mart. III, 300. C.-D. und Mabillon, Acta saec. IV, II, 347 (Delisle). 6) Ueber 2 Briefe Abbo's an ihn, Varin: Bulletin des Comités historiques, 1849. Diese Vita zweifelsohne die des Anonymus Boll. Mart. II, 111 (Delisle). 7) Die sonst sehr instructiven Nachrichten Dümmler's, N. Archiv II, 222, werden durch diese Stelle berichtigt.